Iacobo Wallio. Soc: Jes:

Amplissime Doctissime Vir.

(457)

Iniquè mecum agitur, nisi testantur qui è famulitio vestro jannas observant, bis me conatum frustrà præsentem te convenire, cum Bruxellam iter facienti, atque item reduci, Antverpiæ non multis horis licuit commorari. Ab eo tempore cum ad vos excurrendi non semel nova se occasio preut aut sperandam aut timendam ostentaret, distuli hoc quicquid est officij. donec dexteras daretur jungere, et amicitiæ nodum quem singularis doctrinæ tuæ pretium et æstimatio, pridem mihi injecerunt, coram sic obstringere, ut nec Jovis ira nec &c. Nimirum Vir eximie, qui me causam adulandi procul habere facilè concessurus sis. id me ἐκ μυελῶ ψυχῆς hic profiteri obtestor, credas ex quo Musas Latinas, Latio barbaries expulit, nihil ad nitorem politissimæ vetustatis Romanæ propiùs accessisse videri, quam ea tot elegantissima Poemata, quibus rem omnem literariam ornastis præstantissimum trias vatum, tu Walli Amplissime, cum Sideronio Hoschio, et Guilielmo Becano. Patere te huic bigæ tertium adscribi; quando vos, et par stili gratia sociat, et tam æquabilis ubique decor ut Senecæ verbis, in singulis sit quod eminere posset, nisi inter paria legerentur. neque ipse quidem discernere audeam, quem mihi de tribus autorem perlegat, qui id auscultanti non indicaverit. Huic calculo suum adjecisse virum eruditum Guilielmum Grotium Hugonis fratrem, quem itineris de quo dixi, jucundissimum comitem habebamus, testabitur ejusdem Epigramma currente navi conscriptum, in quâ scilicet à lectione vestrarum elegantiarum, uterque incalueramus plus satis. Ejus testimonij exemplar si libet apud Amplissimum Genartium invenies, et quantum hic malè laxo sermone prodidi, eleganti metro collectum amabis. Plura quæ huc faciunt, coram aliquando, si Deo visum erit, conferemus. Interim tu vale, Vir Eximie, et me ama. Idem ut excellentissimus Segherus facere perseveret, quæso vel te sæpius admonente fiat. Hagæ Comitum XV. Cal: Dec: 1656.

Zwesterbanio.